



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus VII. De Festo purificationis B. M. Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

Ascensionem. Ubi Rubrica habet : *Dicto Evangelio extinguatur cereus Paschalis nec ulterius accendatur.* Retinenda tamen Provinciæ consuetudo, juxta quam semper accenditur sub sacro Conventuali.

TITULUS VII.

De festo Purificationis B. Mariæ Virginis.

1. *Si hoc festum venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel quinquagesimæ, fit tantum candelarum benedictio, distributio & processio & dicitur Missa de Dominica, nisi Ecclesia dicata sit in honorem B. Virginis, de qua eo casu erit Missa : idque probabiliter, etsi non sit dicata titulo Purificationis, eritque tunc Missa discordans Officio ; fit tamen Commemoratio Dominicæ : de qua si Missa cantanda, non tenentur candelæ accensæ nec ad elevationem nec ad Evangelium. Circa cereorum benedictionem, quæ notanda sunt, vide in benedictione palmarum.*

2. *Advertendum tamen, rami tenentur in manibus dum cantatur Passio & Evangelium tantum : ita proprium Dominicæ in Palmis. Candelæ verò in festo Purificationis tenentur in manibus accensæ dum legitur Evangelium & iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem. Ut igitur chorus Rubricam hanc observet, hac die sub sacro post elevationem non erit orandum in cruce, sed standum cum candelis accensis. A Ministris autem non tenentur candelæ in Missa, à Celebrante vero ad Evangelium tantum. Cantanda in processione vide in Cantorali Coloniensi.*

3. *Quod etsi candelæ accensæ distribuendæ sint, juxta Ord. Rom. dicit tamen GAVANT, tolerari, ut accendantur tantum initio processionis, ob longiorem distributionem aut aliam justam causam.*